



1733, 7

29£
7

FACVLTATIS JVRIDICÆ
P. T.
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
*S*trecker/ JCTVS,

PRÆFAT. FACVLTATIS ET JVDICII ELECTO-
RALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PROFESSOR
JVRIS PVBLICVS, CIVITATIS SYNDICVS
ET CAVSARVM TVTELARIVM
CONSVLENS.

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



N in causis utrinque probabilitatem habentibus & Jctos & collegia, in quibus jus dicitur, decet, non desultoria levitate huc illuc vagari, sed jus istud, quod civitas aut collegium retro in ejusmodi casibus usum fuit *L. 37. ff. de LL. sive rerum perpetuo sic judicatarum auctoritatem L. 38. eod. inspicere i. e. observantiam & morem regionis sequi convenit. L. 34. ff. de R. J.* Nihil enim tam integritati, judiciorum nocet, quam inconstantia, frequentesque in judicando variationes, quæ nil nisi litium inter cives multitudinem & immortalitatem efficiunt. Dantur quidem, (quos quondam Fabius *lib. 12. C. 3.* & Cicero *de Orat. lib. 3.* formularios & Legulejos vocabat) qui iniqua spe lucri inescati, nescio, quibus errorum stimulis incitati, observantia & genuinae legum interpretationi impudenti ore aut calumnioso clamore oblatrare, integra collegia viris profundè doctis conspicua, errorum, falsorumvè suppositorum inculpate, aliasque ex propudioso guttore criminationes evomere non erubescunt, sed deridenda ejusmodi Legulejorum cavillationes, cordatus judex propterea à recepta majorum opinione toties iterumque in judiciis contradictoriis firmata non recedet, nam si observantia auctoritatem detrahamus, & easdem controversias modo sic, modo aliter decidamus, quanta hinc oriretur confusio? quantus contemptus in aliis hominibus erga nostram jurisprudentiam nasceretur? quæ incertitudo juris? quæ fluctuatio apud hos, quibus litigandum foret? Præstat igitur in causis dubiis in ea sententia acquiescere, quam judex ipse vel majores sui ex impartialibus juris principiis ante probârunt & pronuntiando observârunt, & meritò: quia observantia legum interpres dicitur optima *L. 37. ff. de LL.* neque mutanda sunt, quæ interpretationem certam receperunt *L. 23. ff. de LL.* Lauterbach. *Vol. 2. disp. 77. p. 2. resol. 1. n. 15.* & interpretatio usualis tenenda, non obstante

stante vero legis intellectu: Kleinsehm. *tr. 4. de princip. jur. sect. 6. n. 41. Mey. p. 1. decis. 144. n. 17.* Ut uno alterove exemplo rem illustrem, celebris est controversia, utrum uxor ratione dotis Creditoribus expressam hypothecam anteriorem in bonis mariti habentibus præferatur? affirmant plurimi cum antiquo Glossatore Martini ad *L. 4. C. in quibus caus. pign.* Negant & plurimi cum Glossatore Bulgaro, quos pro & contra fusissime refert Martini *Process. jur. tit. 43. §. 1. n. 39. seqq.* At in judicio Electorali Moguntino-Erfurtensi secundum postremam negativam continuò pronunciatum fuit. Quapropter, etsi prior sententia non omni fundamento destituatur, attamen illi, qui hodie Collegio isti assident, observantiam non deserunt, sed adhuc hoc mense Octobri a. c. ita pronunciantur. Item hic Erfordiae disputatum fuisse memini, utrum noverca sterilis cum liberis primi matrimonii concurrens ex bonis mariti defuncti portione virili gaudeat? Negativam continuò judicium Electorale Moguntino-Erfurtense secutum est, nec ullus poterit allegari casus, in quo noverca sterilis ad successionem cum liberis primi matrimonii fuerit admissa, nisi pactis dotalibus ante vel post matrimonium sibi prospexerit, vel maritus testamento eam beaverit, vel lamentando transactione aliquid extorserit. Atque hæc opinio in tam notoriam abiit observantiam, ut noverca steriles post obitum mariti huc usque sine ulla contradictione acquieverint. Idque maximo cum fundamento, siquidem *tit. 4. §. 3. Statut. Erfurt.* soli parentes i. e. pater vel mater in principio & sine iteratis vicibus denominantur & ad successionem vocantur, nulla nec ibi, nec alibi novercæ facta mentione, jam verò respectu privignorum noverca nequè parens, nequè mater est, gignere enim, procreare, parentes esse, naturæ, non juris verba sunt; Tiraquell. *l. 8. gl. in verb. suscepit liberos n. 15. C. de revocand. donat.* & sicuti, quæ de parentibus in lege provinciali constituta, ad adoptivos non pertinent, & statutum, quod de liberis indefinite loquitur non de adoptivis, sed de naturalibus est accipiendum: Emenk. *de privileg. n. 27. Ruding. l. 1. O. 25. n. 3.* Ita etiam quæ in statutis de parentibus s. de matre & patre disposita sunt, ad novercam, quasi nocentem arcum & personam in jure odiosam, *L. 4. ff. de inoffic. test. Vultej. in Cons. Marpurg. Vol. 1. Cons. 29. n. 67.* & matrem abusive & fictè talem æque minus, ac ad patrem fictum & liberos fictos contra indolem & naturam statutorum, extendi poterunt: faciendâ

enim est interpretatio, secundum naturalem verborum proprietatem, arg. *L. ult. C. de his qui veniam atat. L. 7. ff. de supellest. legat.* & hoc maxime in exorbitantibus & jure singulari, quod nunquam ultra genuinam verborum indolem extendendum. Otto Tabor. *in tr. de Metat. C. 4. art. 3. th. 9.* Obgannit novus, qui modo nuper surrexit interpres, 1) Statutum nostrum ad uxorem secundi matrimonii, quæ cum liberis à se genitis concurrit, contra naturam statutorum falso extensionis prætenu cum manifesto errore conjuncto extendi, & à se dissentientes nullum succedendi jus ob procreationem sobolis uxori secundæ tribuere; Ergo si novercæ fœcunda portio virilis assignetur, etiam sterili deberi; Ast inanis gannitus! ideo uxor secundi matrimonii succedit, quia liberos adhuc vivos & in successione concurrentes procreavit, & propterea mater non ficta, uti noverca sterilis, sed naturalis & proprie talis est, ad hunc statutum se extendit: sed utrum tali interpretatione extensivâ, quâ contra erronea juris principia ratione novercæ sterilis sibi format obganniens? nequiquam. Sed interpretatione intensiva seu comprehensiva i. e. quia talis vidua ob liberos à se procreatos existentes mater naturalis est, quæ in statutis sub nomine matris comprehenditur. v. Berger. *p. 1. disp. 2. th. 6. lit. 1. pag. 90.* Nullius momenti est argumentum 2) quod ex rubrica *tit. 4. statutorum nostrorum* desumitur, quis enim, nisi juris ignorans, rubricam, maxime imperfectam orationem, continentem pro lege venditabit? vid. Mascard. *de probat. Vol. 3. Couc. 1291. n. 7.* jam verò Rubrica nostra nihil perfecti disponit, sed sermo generalis & obscurus est, uti patebit inspicienti; ergo lex non est, utpote quæ debet esse clara, & manifesta, ne captione sua laqueum pariat. *L. 9. C. de LL.* imo ejusmodi rubricæ generales à contextu interpretationem omnem, omnemque perfectionem mutuantur, & nigrum declarat, quibus de personis rubrum generali sermone conscriptum intelligi debeat, ut eruditè ostendit Menoch. *de præsumpt. Lib. 6. præf. 1. per tot.* Nunc autem, cum textus s. nigrum tantum loquatur de patre vel matre naturali, etiam generalis rubrica, si nempe conjux, quæ mater vel pater naturalis est, cum descendantibus concurrat, ad personas in nigro expressas restringenda erit, quæ interpretatio restrictiva non solum indoli statutorum strictè interpretandorum, sed etiam observantia, uti jam supra deduxi, conveniens est. Afferunt aliqui 3) nigrum ob-

scurum

scrum declarari per rubrum, & a rubro interpretationem nigri desumendum esse; sed negatur nigrum nostrum esse obscurum, per matrem enim simpliciter positam, *naturalem* intelligendam esse, in confesso est: negatur itidem interpretationem extensivam in materia juris statutarii, singularis & a jure communi exorbitantis à rubro ad nigrum locum habere, & quid si hoc largitur? attamen tantum tale argumentum procederet in casibus ubi eadem ratio viget. Mascard. *de probat. Vol. 3. Conc. 1291. n. 10.* jam vero quis non videt, inter matrem naturalem & novercam sterilem maximam diversitatis rationem vigere? illa favorabilis, hæc odiosa, illi partus sunt onerosi, dolorosi & laboriosi, hæc suavis delectatur amplexibus, illa thesaurizat liberis, hæc in proprium marsupium, experientiâ teste, laborat, illa amat, hæc odit &c. Adeoque iniquum foret huic idem jus ac illi per extensionem jure reprobata attribuire. Fragilius adhuc est 4) argumentum, quod desumitur ex statutis nostris *tit. 4. §. 16.* ibi dicitur, *quod omnia, quæ de successione conjugum sunt statuta, intelligenda sint, si fuerint, concubitu licet non securo, sacerdotaliter copulari.* Quid ergo in §§phis præcedentibus *tit. 4.* est statutum? forte quod noverca sterilis cum liberis primi matrimonii in succedendo concurrat? nihil minus. Ergo hic Sphus, ad tales conjuges, de quibus in præcedentibus dictum est, & qui ad successionem vocati sunt, juxta naturam statutorum restringendus est, nam ex præcedentibus subsequentiâ determinantur & replicantur. Menoch. *de præf. lib. 1. q. 28. n. 22. §. 11. de A. J. 2. Cas. 64. n. 20. lib. 2.* Vanum est 5) argumentum, quod deducitur ex *§. 3. Tit. 4. statut.* ibi enim expressissimis verbis habetur, si liberi cum superstitè patre vel matre concurrant, tunc, cessante antiquâ conjugum optione, in posterum mater vel pater (NB. non conjux, multo minus noverca sterilis) in portionem virilem succedat, & vox *conjux* refertur ad id, ne amplius optet, mater autem vel pater (sub his non continetur noverca sterilis) distinctè soli vocantur ad successionem: verba autem statuti debent intelligi prout sonant Gail. 2. 0 79. n. 4. Paucis ut dicam 6) statuta antiqua ob ipsorum inconstantiam, & varietatem non sunt correctâ in tantum, sed in totum, imo, ne dicam, correctâ, potius sunt abrogata, cassata, & ad non ens redacta. *Tit. 5. §. Und wie man obige Statuta: & §. 3. Ord. judicial. tit. 1.* Adeoque ad illud jus, quo quondam civitas Erfordia usâ fuit, nullus amplius respectus habendus est, con-

sequenter omnes obiectiuncula, quæ ex iis statutis ad non eps re-
dactis formantur, in fumum abeunt. Igitur contra eos, qui fini-
strum statutis nostris sensum affingunt, verum manet, novercam
sterilem, non nisi in casu inopia, quartam aut respectiue portio-
nem virilem, si cum liberis prioris matrimonii concurrat, acquire-
re, *Nov. 53. C. 6.* quacum concordat *Nov. 117. C. 5.* quod autem per
hanc *Nov. 117.* sit abrogata *d. N. 53. C. 6.* quoad hunc effectum, ut
nullus amplius habeatur respectus ad casum inopia; & contra Le-
gem apertam & contra communem DD. Scholam temerè ascri-
bitur; Imperator enim per *d. Nov.* emendavit. *L. 11. §. 1. C. de repud.*
& *Nov. 22. C. 18.* & ademit marito quartam in casu repudii injuste
missi debitam, & determinavit modum portionis & marito & uxori
inopi antiquitus debitæ & matri cum liberis concurrenti tantum
portionis usumfructum assignavit, prætereaque nihil. Uti uno
ore confitentur Brunn. *ad L. un. C. und. vir & uxor. n. 13.* Stryck.
tr. de S. A. J. diss. 4. §. 42. Stephan. *ad Nov. 53. n. 38.* Gudelin. *de*
jur. Noviss. lib. 2. C. 16. pag. 84. Putat novus Interpres *d. Nov. 117. C. 5.*
non loqui de matrimonio indotato, & de eo altissimum esse silen-
tium exclamat, & ided firmo juris Oceano navigare sibi imaginatur.
At inspicere, Interpres egregie! inspicere præter inscriptionem
d. C. 5. verba legis: *Ut si quis uxorem aliquando sine dotalibus acceperit &c.*
Si quis indotatam uxorem per effectum solum acceperit &c. perge deinde:
Sancimus in utroque casu ex talibus matrimoniis &c. loquere
ex quibus? prædictis indotatis certè. *Inspice auth. præterea C. und.*
vir & uxor. ex N. 117. C. 5. desumptam. Et sic in tuo erronei juris ocea-
no impudentiæ scopulis allisus in profundos inscitiae vortices sus-
què deque præcipitatus strangulaberis. Restaret adhuc expedienda
quæstio, an noverca quidem inops, sed dives parentes habens portionem
ex defuncti mariti bonis jure præterdere possit? Sed cum talis filia s. in-f.
extra potestatem patris sit, hæres ab hereditate parentum, nisi ex propria
culpâ, inexclusibilis existat, *§. 5. l. de exhered. liber. N. 115. C. 3.*
adeoque spem succedendi certam ac radicatam habet, *§. 2. l. de hered. qual. & different.*
& pater etiam filiam emancipatam ex necessitate & alere & dotare teneatur *L. fin. C. de dot. promiss.*
Zoef. ad tit. ff. de jur. dot. n. 7. Ob paginæ angustiam, quæ me lon-
giorem & fusiozem esse non sinit, ad deducta in programme meo
d. 30. Aug. a. c. publicato me remitto, & si quid scrupuli novo nostro
interpreti, quem Erfordia ante hac non novit, in hac vel in si-
mili

mili materia remanserit, id ipsi in auditorio publico funditus excutiemus, ibi quid valeant humeri, probatum dabit, eumque, ut talem, quem antea non novimus, virum se monstret, publico hæc programmata provocamus. Nullus dubito, quin, cum ipsum in suo discursu omnes à se dissentientes Juri non terruerint, ibi comparere, nosque suis argumentis, ut sibi imaginatur, invincibilibus informare, non reformidaverit. Omnia per tantum, quantum lubebit, temporis spacium amicè excipiemus, postquam de interpretationibus Legum occasione *L. 9. C. de LL.* pauca prius publica ex cathedra discussit

NOBILIS ET CLARISSIMVS JURIVM CANDIDATVS
**DN. JOANNES CAROLVS Schneider/
dict. Weismantel/**

Natus is d. 7. Augusti Ao. MDCCIV. hic Erfurti Patre Viro Prænobili atque Amplissimo Dn. JACOBO ANDREA Schneider *dict. Weismantel* Civitatis hujatis Consule tertio, Catastrorum Revisionario, & Commissario Commerciorum, de singulis muneribus, dum vivebat, optimè merente; Matre nobilissima ANNA BARBARA, patre Dn. JOH. DANIELE Wagner/ Ducis Saxo-Gothani Culinario, oriunda, matronâ omnibus, quæ in sexum sequiorem cadere possunt, virtutibus conspicuâ, quam adhuc in vivis veneratur. Horum parentum fideli cura, usque ad XII. ætatis annum, privatos inter parietes prima fundamenta & christianismi & literarum, ductu præceptorum, jecit: Deinde in scholam, quam vocant Prædicatorium; postea ad Gymnasium Senatorium hic loci florens, missus, sub ductu virorum celeberrimorum: Dn. HERMANNI NICOLAI STILERI J. U. D. & dicti Gymn. Rectoris meritissimi, & reliquorum Dn. Professorum Dn. M. JOH. HEINR. TIEMROTH Phil. P. P. Ord. ac Pastor. ad Ædes D. Michaelis, Dn. M. HIOB. FIDEJVS. HÆUSER. Philof. P. P. Ord. Dn. M. HEINR. JVL. LOZZEN Diacon. ad Ædes Mercatorum. Dn. M. JOH. FRID. WEISSENBORN. & Dn. M. GEORG. JOACH. TENNEMANN. Diacon. ad Ædes D. Michael. indies, tam publicè, quam privatim literaria hausit, quorum sedula instructione studiis humanioribus imbutus, summa cum laude Athenæo huic publicè valedixit, & in Inclucta nostra Hierana, Philosophica, in Buddæi Elementa & Jus Naturæ, in Puffendorff. Tr.
de

2905
de Offic. hom. & Civ. ex ore Dn. M. JVST. MOTSMANN Phil. P. P. & Dn. M. VOLCKMAR. STENGER, Phil. P. P. Ord. audit; & lectionibus tam publicis quam privatis Dn. ZIEGLERI, TREIBERI, RVMPELII, MEIERI, & Dn. Dr. LILIEN, Regim. Elect. Conf. Decretal. P. P. Ord. & Judic. Provinc. Assessor. atque Sen. sedulo interfuit. Ducem tamen sibi elegit Virum Prænobilissimum & Consultissimum Dn. JOHANNEM MICHAELEM ROTERMVND. J. U. D. Eminentiss. Principis Electoris Mogunt. Consiliarium Regiminis, Judicii Electoralis Provincialis Assessorem & Prof. Jur. Publ. sub cujus fidelissima explanatione Institutiones Justinianæ & Pandectas excepit, cui multum se deberi, grata mente, proficetur. Insuper Collegiis in Hornii Compend. Jurisprud. R. G. public. *Per generosi Dn. PHILIPP. FRANCIS. DE BELLMONT*, Eminentissimi Principis Electoris Mogunt. Consiliarii Regiminis & Prof. Pub. Juris Publici & historiarum, & Dn. HIERON. FRIDER. SCHORCH. J. U. D. P. P. & Facult. Jurid. Assess. extraord. Civitatis Consul, & Ministerii Evangel. Assessoris: interfuit. Tandemque anno superiori ab Illustriss. Regimine Erfurtensi in numerum Practicorum, præstito consueto advocatorum juramento, gratiose relatus fuit. Petiit tandem in ordine ad capeffendos supremos jurium honores à facultate nostra admitti ad consuetum Candidatorum examen, annuimus ejus desiderio textusque ex utroque jure resolvendos ei communicavimus, quos ita resolvit, & ad quæstiones in examine rigorofo præpositas ita respondit, ut eum ad ulteriora specimina edenda admiserimus. Quare d. 26. Oct. lectionem cursoriam ad L. 9. C. de LL. & disputationem inauguralem

DE JURE CIVITATIS ERFURTENSIS SINGULARI,
habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Dominus Rector, reliquique Universitatis Proceres, cives Academici, aliique quibus Theses nostras singulariter impugnare volupe est, ut interesse velint, quam humanissimè invitantur. Publicatum d. 25. Octobris MDCCXXXIII. sub Sigill. Facult. Jurid.

(L. S.)

ULB Halle

3

005 355 664







29£
7

1733, 7

FACULTATIS JURIDICÆ
P. T.
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
Strecker/ JCTVS,

PRÆFAT. FACULTATIS ET JVDICII ELECTO-
RALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PROFESSOR
JVRIS PVBLICVS, CIVITATIS SYNDICVS
ET CAVSARVM TVTELARIVM
CONSVLENS.

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

